

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Joh. Henrici Hottingeri Henr. ex Henr. Nep. S. Theologiae &
Antiquitat. Jud. Acad. Marburg. Prof. Ord. Typus Doctrinae
Christianæ In Usus Institutionis ...**

Hottinger, Johann Heinrich

Francofurti ad Moenum, Anno MDCCXIV.

VD18 12542598

Caput XIV. De Oeconomia Consilii Gratiae Amosæ Ad Christum.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-216057

CAPUT XIV.

De

OECONOMIA CONSILII GRATIÆ AMOSE AD CHRI- STUM.

Σύνοψις.

Sequitur Dispensa-
tio Consilii Gratiae
à Mose ad Christum.

§. I.

Ad quam referuntur,

(1.) Fœdus Sinaiti-
cum. (2.) Leges re-
liquæ Israelit. latæ.

§. II.

Præparatio ad fœdus
Sinaiticum. §. III.

IV.

Circa fœdus notantur

I. Partes contra-
hentes: Deus & Se-
men Abrahami, I-
saaci & Jacobi. §.

§. V. VI.

II. Mediator Moses. §.
VII.

III. Conditiones quin-
que. §. VIII.

(a) Stipulatio. §. IX.

(b) Promissio. §. X.

(c) Comminatio. §. XI.

(d) Astipulatio. §. XII.

(e) Restipulatio. §.
XIII.

IV. Sanctio. §. XIV.

Præterea locus, qui
mons Sinai, unde
Fœdus Sinaiticum:
Insuper Ministri:
Tandem Symbola
Majestatis Legisla-
toris. §. XV.

San-

CAPU

*Sancito hoc fœdere
aliæ Leges addaban-
tur, veluti §. XVI.*

Morales. §. XVII.

Ceremoniales. §. XVIII.

Judiciales. §. XIX.

*In hoc Fœdere Deus
eandem gr̃iam sumsit
quam habuit erga
Abrahamum. Con-
siderandus ergo ut
Deus in semine mu-
lieris gratiam fa-
ciens. §. XX.*

*Non qui ob propriam
justitiam vitam da-
turus. §. XXI.*

*Attamen non negatur,
discrimen dispensa-
tionis Gratiæ ante
Mosen & sub Mose.
Potius in quinque
partibus ostenditur
§. XXII.*

*Objectio solvitur. §.
XXIII.*

*Porro ostenditur quo
modo Deus scopum
ratione verorum &
carnalium Israeli-*

*tarum talem lega-
lem gr̃iam subintro-
ducendo attigerit.
XXIV. XXV.*

*Media Oeconomiam
hanc conservandi
propagandique §.
XXVI.*

*(I.) Symbolica præsen-
tia Dei in medio Is-
raelis. (II.) Consi-
gnatio voluntatis
divinæ. (III.) De-
scriptio prælectio-
que Legis sæpius re-
petita. (IV.) Insti-
tutio Sacerdotum,
Levitarumq; (V.)
Etiam Prophetarum
extra ordinem
missorum. §. XXVII.*
*Juxta Judæos huc fa-
cit Lex Oralis, quæ
divina esse negatur.
XXVIII.*

*Utilis tamen concedi-
tur. §. XXIX.*

*Tandem finis Oecono-
miæ. §. XXX.*

§. I.

§. I.

Superiori Ordine succedit illa Consilii Gratiæ Dispensatio, quæ à Mose ad Christum currit. Quâ populus Israel fœdere & placitis à quavis alia gente distinctus, in peculium Dei cooptatus, in terra Canaan cultum umbratilem exhibere jubebatur. Et illa & hæc in essentialibus conveniunt, disconveniunt in variis circumstantiis, de quibus supra.

II. Quæ in hac Oeconomia notatu digniora, illa referri possunt vel ad Fœdus Sinaiticum in specie, vel ad Leges reliquas, quæ ferebantur populo Israel.

III. Circa Fœdus Sinaiticum duo distinctè observari possunt. Primum de eo quod antecessit, & viam ad id paravit; Alterum de Fœdere agit.

IV. Antecessit autem, quod Deus jam olim Patriarcharum Abrahami, Isaaci, Jacobi avo horum posteros ad Gentem pecularem destinaverit, qui hinc, quando injusta Ægyptiorum servitute premebantur, tanquam peculium Dei, manu forti & gloriosa in libertatem vindicabantur. Quæ ingens gratia, si vel sola, Deum Regem & Dominum Israëuitarum speciali modo constituisset, sed noluit Liberator Domini jus in eos exercere, nisi id ipsum in eum transferant. Unde propositis per Mo-
sen beneficiis jam actu collatis & in posterum
con-

conferendis ad subjectionem populum ex Ægypto liberatum invitat Deus. Quando verò hic spontè annuit, mox ferebantur leges preparatorix, ut fœderi, ejus postulatis audiendis, suscipiendis, debita sanctitate & reverentia interessent.

V. Ipsum Fœdus quod attinet, notanda sunt partes contrahentes, Mediator, conditiones, earum sanctio.

VI. Partes contrahentes Deus & homo. Et Deus quidem consideratur ut *Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi*. Exod. III, 6. ut *Jehovah Deus* Israël, *qui eum eduxit è terra Ægyptiaca, domo servitutis*. Exod. XX, 2. Filio tamen speciatim attribuitur, Act. VII, 38. Homo verò ut semen Abrahamæ Ægyptiorum tyrannide, potentiâ Dei liberatum, Exod. XIX, 3. Hoc adeoque fœdere non comprehendebantur aliæ Gentes, quippe tum solus Israël סגלה *populus peculiaris* Deut. VII, 6. Huic statuta & judicia dedit, non ulli Genti Ps. CXLVII, 19. hinc gentiles dicuntur *sine Christo*, qui ipsis non prædicabatur, *alieni à politia Israel*, per leges positivas maxime, *peregrini à testamenti promissionis* veluti Abrahami, Mosis, *spem non habentes* verorum bonorum, quæ ipsis non promittebantur, *sine Deo vero in mundo*. Observandum tamen, quòd illi ex Gentibus, qui ortum suum penitus abnegabant, atque eandem cum Judæis legem subibant, sicque *Judæi facti* eidem fœderi

deri inferi potuerint. Hos posterior ætas vocat
 צור *profelytos Justitiæ.*

VII. Ab utraque parte Moses ex Levi
 oriundus singularibus fatis clarus Mediator ele-
 ctus probatusque est: Qui quoque *μεσίτης* au-
 dit Gal. III, 19. utpote medius stabat inter Je-
 hovam & Israhëlitas Deut. V, 5. ejus jussus ad
 hos, horum subjectionem ad illum, ut in toto
 ministerio sic speciatim in fœdere ferebat Exod.
 XIX--XXV. Docebat hoc mediatoris munus,
 populum reum adhuc, impurumque esse, qui
 cum Deo immediatè conjungi nequeat.

VIII. Conditiones fœderis sunt quinque
 scil. Stipulatio, Promissio, Commminatio, Asti-
 pulatio, Restipulatio.

IX. *Stipulatio est illa fœderis pars, quâ
 Deus immediatè & mediatè per Moysen à po-
 pulo suo peculiari obedientiam poposcit. O-
 bedientia, quæ poscebatur, respicit (a) fidem,
 mores. (b) Cultum dein Ceremonialem. (c)
 Vitam denique civilem. Vide Exod. XX. XXI.
 XXII. XXIII. XXIV. Sapientissimè hæc institue-
 bat Deus, nam Israhël considerandus tum ut po-
 pulus Dei, tum speciatim ut populus, qui de
 futuro Messia ejusque morte informandus, tum
 ut populus peculiaris ab alia Gente distinctus.
 Ob illam *χρίστος* instruendus in fide & moribus.
 Ob istam in umbris Christum præfigurantibus.
 Ob hanc in statutis civilibus.*

X. *Promissio verò dicitur, quâ Deus obser-*

S

VAN-

vanti stipulationem, gratiam suam pollicitus est. Exod. XX, 6. Facio gratiam in millesimos, qui praecepta mea custodiunt. Deim c. c. v. 12. Ut prolongentur dies tui in terra, quam Jehova Deus tuus tibi daturus est. Præterea c. XXIII, 20-26. promittitur Angelus faciei divinæ, tutus per desertum ductus, potens & gratiosa introductio in terram Canaan cum affluentia bonorum.

XI. *Comminatio autem est severa voluntas Dei erga transgressorem stipulationis, quem ad gravissimam pœnam condemnat. Exstat Exod. XX, 5. Ego Jehova Deus, Deus Zelotes visitans perversitatem Patrum in filios, in nepotes, in abnepotes, scil. illos, qui me odio prosequuntur. Cf. v. 7. & c. XXIII, 21. Hæc notanda sunt à parte Dei. Sequuntur nunc ea, quæ à parte Israëlitarum agebantur.*

XII. *Astipulatio est ille actus populi, quo Deo stipulanti omnem obedientiam addixit. Quum præcepta justissima, æquissima, illa ad stipulationem quoque dignissima. Unde Israëlita una voce: Omnia verba, quæ dixit Jehova, faciemus, Exod. XXIV, 3. In quo tamen minus rectè fecerunt, quod gravitate præceptorum, prava ad peccandum inclinatione non pensitata, obedientiam universalem absque auxilii divini imploratione polliciti fuerint, quam vecordiam notavit Deus Deut. V, 28. 29.*

XIII. *Restipulatio, quâ Israëlita stipulatione*

tionem adimpleta jus habent divinas promissiones debitâ reverentiâ expetendi. Non quidem inter bonum promissum & obedientiam Israëlitarum proportio invenitur, attamen quia Deus benignus, verax, à *Jeudis*, Israëlita ex legis præscripto viventi jus ad vitam natum, utpote valet, *Qui fecerit hæc, vivet in iis.*

XIV. Et ne fœderi huic deesset quidquam, pro more eo tempore in fœderibus consueto confirmabatur Scripturâ, bestiarum occisione (unde phrasis ברית כרת *secare fœdus*) sanguinis sparsione & convivio sacro, Exod. XXIV. Qui ritus omnes significantissimi erant.

XV. Notabile insuper hoc fœdus א. ob locum, qui mons Sinai à *rubis*, aliâs Horeb à *siccitate*, Agar ob *adjacens oppidum* Agar dictus. Talis eligebatur locus, ut legis naturam effectumque nonnihil referret, v. Gal. IV, 24. 25. ב. Ob ministros, Angelos, qui in ordine dispositi Legislatori à manu Gal. III, 19. Deuter. XXXIII, 2. erant. ג. Ob terribilia Majestatis divinæ symbola, fulgura, tonitrua, nubes atras, montem fumigantem, terræ motum, quæ uti Legislatorem Judæorum super omnes alios longè eyehebant, sic docebant, quantâ reverentiâ excipiendæ sint ejus leges, qui tam terribilis & potentissimis Ministris stipatus.

XVI. Sancitô hoc fœdere sub hac Oeconomia alia & alia tum Mosis tum aliorum Ministrorum operâ addebantur. Et quidem quæ

fidem spectant. Quoniam enim tum temporis Idololatria passim grassabatur, adversus eam quavis ratione muniebantur Israëlitarum peccata: Erudiebantur propius de semine mulieris, ejus persona, naturis, muneribus, beneficiis, & quæ hinc fluunt, nostris erga id officiis, nam quo adventus ejus propinquior, clariiores de eo dabantur revelationes.

XVII. Tum quoque moralia, quæ Decalogus continet, partim repetebantur, partim illustrabantur, partim rationibus confirmabantur, partim in compendium, quod Dei & proximi amore absolvitur, contrahebantur.

XVIII. Etiam Ceremonialia plurima augebantur. Pauca quippe leguntur capp. XX-XXV. in Exodo. At postea in ingentem numerum præcepta de figuris excrescebant, quod videre est ex legibus de rebus, personis, locis, temporibus, capp. XXV. ad finem Exodi, per totum Leviticum, Numeros.

XIX. Tandem Judicialia multiplicabantur. Judices passim constituebantur, quorum Summi, qui juxta locum sacrum sedere atque causas graviores cognoscere debebant. In his omnibus breviores sumus, quoniam de Moralibus cap. XV. de Ceremonialibus c. XVI. de Judicialibus c. XVII. ex professo dicturi sumus.

XX. His, quæ in Controversiam vix vocari possunt, præmissis, facilius de magis Controversis

Gr
re
judiciu
re
habimus,
israeliticum
num, Isaac
um, quod v
testamentum
non fuisse, at
vram fidem
comum sub
delubi dixer
colas non ult
com toties pr
veneris tui po
veratur ex
revelle cl
perali: Ego
colu, Exod.
XXX. 11. 12
poratori po
6. Pretere
Prophetis ex
nomiam per
umbra, Sac
bernaculum
Aqua ex Per
agrarunt, L
14. 15. ? 6.
maxime v. 1
Deo ad Chri
abrogat et

versis iudicium ferri potest. Et quidem primò probabimus, Deum eandem *χρίσιν* ad populum Israëliticum habuisse, quam prius ad Abrahamum, Isaacum, & Jacobum. Præsupponimus, quod vix quispiam negabit, horum ævo Testamentum Gratiæ in Jesu Christo annuntiatum fuisse, atque illos salvatos, qui annuntiationi vivam fidem adhibebant. At hoc ipsum præconium sub sequenti Oeconomia mansit. 1. Vel ubi dixerat Deus, se promissiones suas gratiosas non ultra Jacobum extensas velle? 2. Annon toties promiserat, *Ero Deus tuus & seminis tui post te*, Gen. XVII, 7. ? 3. Annon liberaturus ex Ægypto se eandem gratiam exhibere velle clarissimè indicavit toties repetita phrasi: *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, Jacobi*, Exod. III, 6. 15. 16. Deut. VII, 11. 12. XXIX, 11. 12. ? 4. Annon ingentem gratiam peccatori pollicitus est Exod. XXXIV, 6. 7. XX, 6. ? Præterea tot de gratia loca, in Psalmis, Prophetis exstant, quæ omnia ad hanc Oeconomiam pertinent. 5. Denique annon omnes umbræ, Sacerdotes, Sacrificia, Lotiones, Tabernaculum, ejusque Vasa, Festa, Manna, Aqua ex Petra, Serpens æneus Christum præfigurarunt, Hebr. X, 1. 1. Cor. X, 1-5. Joh. III, 14. 15. ? 6. Ultimò legatur Paulus Gal. III, maximè v. 17. *Testamentum ante sancitum à Deo ad Christum lex post 430. annos lata non abrogat eis τὸ καταργῆσαι τὴν ἐπαγγελίαν*, ad de-

struendam promissionem. At sublata est promissio à lege, si qui sub Oeconomia Mosaiica ex propriis operibus iustificandi.

XXI. Ex dictis nunc fluit, Legem in Sinai Israëlitis non datam esse, ut propriâ iustitiâ iustificarentur. Hoc quippe ἀσύντατον cum antecedentibus. Dein sapiens & benignus Deus tale pactum cum peculio suo de gratia consequenda non init, quod nemo observare valuit. Nemo autem observare valuit Legem Mosaiicam, ut ipsi jus ad vitam æternam tribueret.

XXII. At dices: Evidentissimum est, Deum aliter longè cum Fidelibus ante Mosen egisse: Aliter verò cum Israëlitis in deserto. His solis, non illis, Legem prolixam dedit, quæ observata demum jus ad vitam concedit. Facile concedimus magnum discrimen inter dispensationem primam & secundam, imò non abnuimus, Ecclesiam sub dispensatione secunda, ἐν ἐμφάσει νόμου ἀλείας iugo servitutis constrictam fuisse Gal. V, 1. à servo non differre IV, 1. cf. Jer. XXXI, 32. Hebr. VIII, 9. Act. XV, 10. Sicuti ex sequentibus partibus constat (a) Ceremoniæ, quæ ante Mosen usitata, non solum confirmabantur, sed pluribus novis iisque molestis circumstantiis circumscribebantur. (b) Tum innumera aliæ, difficillimæ, pretiosissimæ, ad arguendum injustitiam & impuritatem comparata dabantur. (c) Hæ ceteræque leges summa cum ἀγκίστρια, propriis viribus, præstanda com-

communiter proponebantur. (d) Transgres-
soribus maledictiones divinæ denuntiabantur.
(e) Imò horribiles pœnæ in Ceremoniarum
neglectores animadvertiebantur. His non ob-
stantibus arbitramur scopum Legislatoris non
aliud esse quàm ut semen Abrahamæ sub lege sal-
vetur, uti ipse Abraham.

XXIII. Instas: Quare ergo Deus jugum hoc
Israëlitis imposuit? Et quomodo illum scopum
attigit? De utroque dicemus. Quod primum
attinet, Legem promissionibus addidit *παράδει-
σιν χάριν propter transgressiones*, Gal. III, 19.
scil. quemadmodum providus Pater petulan-
tem puerum duriter tractat, & inobedientiâ
crescente disciplinam severiorem constituit; ita
Deus Ecclesiæ Judaicæ peccatum peccato adji-
cienti jugum aggravavit. Sunt autem plures
παράδεισις in Ægypto, deserto patrata, ex qui-
bus non ultima *μοχλοκρατεία*. Exemplum severio-
rum legum occasione transgressionis habes Lev.
XVI, 1. 2.

XXIV. Quoad alterum: An ergo Deus hac
ratione scopum attigerit? Utique attigit; Lex
enim varium usum præbuit ratione verorum &
carnalium Israëlitarum. *Ratione illorum*: Per-
fectam habebant fidei & vitæ normam, quam
quantum possibile, exprimere tenebantur: con-
vincebantur ex ea de propria ἀδυναμία legem ad
vitam consequendam adimplendi: Hinc humi-
liabantur: Propterea anhelabant gratiam Dei

Patribus clarius promissam, in Lege rarius & sub involucro reperiundam. Ad eam ducebat Cultus Ceremonialis. Unde Paulus Rom. X. 4. *Finis scopus legis est Christus ad justitiam omniconfidenti*, à quo scopo turpiter aberrarunt, qui justitiam propriam erigebant. cf. Gal. III, 23. 24. *Ratione horum*: Etiam hi habebant, quo exercebantur: Legibus illis intra limites compescebantur: Nam in causa erant, quominus cum Idololatricis populis in unam gentem coalescerent. Tum ad denuntiata pœnas, sine legis neglecto & præceptis divinis violatis, condemnabantur. Caterum haud difficulter fatemur, hos scopum legis, quem intentum habuit Legislatores, non penetrasse, propriò vitiò velamen oculis eorum impositum fuisse, quia enim toties exstat *Fac hoc & vives*, propriam justitiam unicam vitæ causam dixerunt.

XXV. Unde constat, eandem ad salutem consequendum viam sub Dispensatione prima & secunda præscripsisse Deum scilicet agnitionem peccatorum, fidem erga benignum & misericordem Deum, studium sanctæ vitæ. Licet sapientissimus Deus non nihil aliter illos, qui ante Moysen, aliter illos, qui sub Lege Mosaica vixerunt, duxerit.

XXVI. Porro nunc dicendum, quibus modis Deus uti voluerit ad Oeconomiam hanc usque ad tempora correctionis conservandum, pro-

propagandum. Quando enim paulò asperior est, facilè intelligimus, Judæos mitiorem percussisse, adeoque intra cancellos genuinis mediis continendos fuisse.

XXVII. Media plura variaque. I. Ipse Deus in medio Israël habitavit, præsentia suæ symbolum clarissimum, maximè primis temporibus, exhibuit, quod quum cernere poterant Israëlita, maximam vim pro sollicita præceptorum observantia in iis reliquit, tantò magis, quando iratum Numen subinde in transgressores cælesti vindicta animadvertit. II. Tum quoque voluntatem suam scriptis mansuris commisit, Decalogum quidem ipse in tabulis lapideis exaravit, alias leges per Mosén scribi curavit, jussitque, ut scripta loco sacerrimo includerentur, atque à corruptione præservarentur. III. Præcepit dein ut describeretur, Deut. XVII, 18. publicè prælegeretur, Deut. XXXI, 11. 12. 13. Posteriori tempore ordinârunt Sapientes, ut Lex Mosæica in partes divisa quovis anno diebus Sabbathi legendo absolveretur, unde Act. XV, 21. IV. Insuper instituit custodes Ordinarios, Sacerdotes & Levitas Malach. II, 7. qui tamen officio suo sæpenumerò defuerunt Malach. III, 3. Matth. V. V. Quare misit aliquando extra Ordinarios Prophetas, qui Spiritu Dei acti legem restituerunt, ex mente Dei exposuerunt, quorum sub hac dispensatione magnus proventus. Inter hos excelluit

celluit Moses *fidus servus in tota domo Dei*, familiari aditu ad Deum præ aliis omnibus fruens. Num. XII, 6-9. Deut. XXXIV, 10.

XXVIII. Addunt Judæi aliud medium, *Legem* puta *Oralem*, scriptæ clavem, à Deo Mosi in monte Sinai traditam, quæ ex voluntate Numinis non literis consignanda, sed ore sanctorum Virorum propaganda erat. Eadem tamen, urgente necessitate, seculo post Christum secundo, conscribatur, quam vulgò מִשְׁנָה *Deuterosis* appellant, quam postea Magistri Hierosolymitani & Babylonici illustrarunt, unde *Talmud Hierosolymitanum & Babylonicum*. At hocce medium genuinum esse negamus. Nam 1. Moses hujus legis nullibi meminit. 2. Dein ad eam non provocant Prophetæ aut alii Viri sancti. 3. Nec aliud monumentum אֲזִיכָּרוֹן *prostat*. 4. Imò integræ ex Gente Judaica Sectæ reperiuntur, quæ Legi scriptæ quidem fidem adhibent, sed illam Orali negant, uti *Sadducæa, Karræa*. 5. Insuper ipsorum Patronorum confessione manca est. 6. Denique stylus, modus tradendi alius à Lege Divina. 7. Ultimò plures difficiles nugæ, aliaque absurda, falsa in utraque Gemara, maximè Babylonica, inveniuntur. Non ergo *Lex* uti vocant, *Oralis* divina est, sed farrago sententiarum de Moribus, Ceremoniis maximè, à Magistris diversi temporis latarum.

XXIX. In eo quidem facilè consentimus Deum

Deum plura cum Mose & subsequenti tempore cum aliis Prophetis locutum fuisse, quàm quæ in scriptis relinquebantur. Concedimus quoque Prophetarum, aliorumque sanctorum virorum operâ Legem, vaticinia clariùs exposita, in cultu varia ordinata fuisse. Verùm deest nobis horum omnium Authentica traditio. Mala bonis, falsa veris commixta sunt quæ ad manus nostras pervenerunt. Quare non licet absque *ὑποπόριον, διακρίσει* traditiones legere, iisque credere. Qui verò hoc animo lectionem Legis Oralis, præcipuè Textûs Mishnici, ad ritus clariùs intelligendos perutilis libri, aggreditur, ille ex ea varia commoda hauriet.

XXX. Oeconomix Consilii Gratiæ, cujus hactenus initium & modum conservationis vidimus, videndus nunc quoque Finis & Antiquatio. Quoniam enim non erat ἀμειψίῳ consummata, ut in ea nihil desiderari potuerit, Hebr. VIII, 7. (a) Nam nondum advenerat promissus Salvator, vera peccatorum expiatio, fons omnium bonorum spiritualium. (b) Hinc anxia spes. (c) Publica in sacrificiis professio reatus sui per sanguinem Messix abolendi. (d) Servitus Legis Ceremonialis. (e) Minor mensura cognitionis, fiducia, gaudii, ideò testamento melioribus promissionibus instructo locus dandus erat. Quod constat ex natura præmemoratae Oeconomix utpote præfigurativa.

Dein